TENTAMEN PHYSIOLOGICO-MEDICUM
INAUGURALE
DE
MANIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES WHARTON,

VIRGINIENSIS,

CIVITATUM AMERICÆ FOEDERATARUM CIVIS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. ORD.

ATQUE PRÆSES ANNUUS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII

1806.

ANDREÆ DUNCAN, M. D.

IN ACADEMIA EDINENSI

INSTITUTIONUM MEDICINÆ

PROFESSORI;

HOMINI

OMNI VIRTUTE EXORNATO,

NON MINUS LITERIS,

QUAM HUMANITATE INSIGNI;

OB PLURIMA BENEFICIA

IN EUM COLLATA,

HANC DISSERTATIONEM

D. D. CQUE

JOANNES WHARTON.

ITEMQUE,

AMICO OPTIMO

THOMÆ BROWN, M. D.

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINBURGENSIS

SOCIO,

HOMINI

COMITATE SERMONIS

ET

ACUMINE INGENII

INSIGNI,

NECNON

LITERIS HUMANIS PROFUNDE IMBUTO;

OB PLURIMA BENEFICIA

NUNQUAM OBLIVISCENDA

IN EUM COLLATA

MEDICINÆ INCUMBENTEM,

HOC TENTAMEN

D. D. CQUE

JOANNES WHARTON.

DENIQUE,

VIRO ADMODUM REVERENDO

CAROLO LOWELL, A. M.

DE *BOSTONIA*,

IN AMERICA SEPTENTRIONALI;

PIGNUS AMICITIÆ,

FAUSTE INCEPTÆ, NUNQUAM DESINENDÆ,

HOC OPUSCULUM

CONSECRAT

JOANNES WHARTON.

"Cans't thou not minister to a mind diseased,
"Pluck from the memory a rooted sorrow,
"Raze out the written troubles of the brain ;
"And, with some sweet oblivious antidote,
"Cleanse the foul bosom of that perilous stuff,
"Which weighs upon the heart ?"

SHAKESPEARE.

TENTAMEN PHYSIOLOGICO-MEDICUM

INAUGURALE

DE

MANIA.

INTER morbos quibus patet genus humanum, Mania summam attentionem sibi meritò vindicat, et sanè nullus tantam misericordiam movet: in plerisque enim aliis malis quibus versantur medici, corpus solummodò laborat; in hoc autem mens ipsa, quâ homines cæteris animalibus præstant, divinitùs orta, gravi ruinâ obruitur.

 De

De morbo cujus natura admodum obscura est, quâ decet diffidentiâ, disserere aggredior.

In Mania, velut in multis aliis morbis, medicinam parùm valere confiteri cogimur; minimè autem desperandum est: è contrario, ægro levamen afferre assiduè incumbere debemus, et etiam, cùm omnis spes morbi summovendi abjecta sit, ut placidè morte quiescat, annitendum est.

Nil certè tristiùs mentem commovet, quàm homo maniâ detentus: quid enim acerbiùs pectus cruciat, quàm aspectus hominis, virtute et ingenio insignis, qui, furore concitatus, et consilii expers, more ferarum in omne nefas fertur? eheu miseranda sors! quis enim oculos, haud pridem intemeratâ amicitiâ nitentes, nunc invidiâ liventes; quis enim linguam, suavem et facundam, omnia scelerata et impia nunc effutientem, sine lachrymis aspiciat?

MORBI

MORBI DEFINITIO.

Cum de morbo quovis agitur, maximè interest ut definitio accurata sit. Manifestum enim est, medicos ad morbos vel sanandos vel mitigandos operam frustrà adhibere, nisi natura morbi quo tenetur æger priùs ritè intelligatur. Scientia enim symptomatum variorum, et haud parùm sæpè discrepantium, quibus morbus quivis insignitur, medicum doctrinâ probè imbutum, ex empirico audaci et imperito secernit. Cullenus illustrissimus hunc morbum ad classem *Neuroses* dictam, et ordinem *Spasmorum*, relegavit; et eum *insaniam universalem* definivit. Etsi memoriam hujus viri eximii summâ reverentiâ colo, in verba ejus non semper jurare possum: nonne maniacorum exempla quotidiè observantur, qui nunc furore exagitantur, nunc placidè se habent, et omni furore carent? et certè in hujusmodi exemplis Insania Universalis

versalis dici nequit. "Huic insaniæ charac-
"teri optimè accommodatur CULLENI defi-
"nitio maniæ, quæ sic breviter traditur, *In-*
"*sania universalis.* Et hæc adhuc accura-
"tior foret, si observatè eodem viro claris-
"simo, verbum *ferè* suppleatur, quippe enim
"maniacis commune est hodiè furere, et cras
"mites se gerere in omnibus *."

Facultates quibus res percipiuntur, in mente etiam sanissima maximis mutationibus obnoxiæ fiunt: hinc inter sanos et mente captos, limites accuratè statuere, admodum difficile est; et sanè si omnes qui errore nonnunquam impliciti sunt, ad maniacos referre debemus, quis insaniæ suspicionem fugere poterit †? Si hoc ita se haberet, opinio DAMASSIPPI,

* Vide STEWART, Dissert. Inaug.

† "But delusive ideas, Sir, are the motives of "the greatest part of mankind, and a heated ima-"gination the power by which their actions are "incited:

MASSIPPI, "Omnes homines insanire," optimo fundamento niteretur, et minimè inter somnia Stoicorum annumerari debet.

Cùm imaginatio ita evagatur, ut res adesse credit, quæ reverà non adsunt, et judicium de rebus circumſtantibus ex communi sensu alienum fertur, homo insanire dicitur: ex hoc fonte innumera deliramenta, quibus insani jactantur, profluunt; hinc maniacus sede decumbens, se solio sedere, et adstantes esse satellites sibi persuadet; hinc quoque mens, huc illuc raptim acta, cogitationes inconditè prolatas seriò prosequi nequit. Insani ira facilè exæstuant, et suspicioni maximè dediti sunt; nullam amicitiam amicis etiam carissimis exercent. In nonnullis exemplis, furibundi enormi et vix credibile vi

---

"incited: the world, in the eye of a philosopher, "may be said to be a large mad-house."

MACKENZIE's *Man of Feeling*.

vi musculorum pollent; alia autem morbi indicia, ad historiam mox insecuturam referre satiùs erit.

MORBI HISTORIA.

Maniam calidâ anni tempestate semet sæpiùs ostendere, diu observatum est; et præsertim in calidioribus cœli regionibus. Juniores quàm ætate provectos, mares quàm fœminas, temperamento sanguineo præditos sæpiùs adoritur. Paroxysmo maniæ urgente, æger res externas minimè advertit, amicorum quibus maximè conjunctus fuit, omninò oblitus est; et vim sibi vel adstantibus inferre sæpè tentat; motus animi vario æstu concitantur, et timor, ultio, ira, suspicio et invidia furentem, vicissim cæco impetu rapiunt, et se omnibus destitutum, per terram inimicam

vagantem,

vagantem, insidiis undique obsessum, credit*.

Maniacus omnem pudoris sensum amittit, et omnia dira et scelerata in pectore versat. Notatu dignum est hoc morbo tentatos, frigus maximè intensum sine incommodo sæpè tolerare; ratio cujus forsan satis in promptu est. Cùm enim mens unâ re fortiter occupatur, ut furiosis plerumque contigit, hoc attentionem ita detinet, ut aliæ res externæ parùm percipiantur.

---

* "————————Agit ipse furentem,
In somnis ferus Æneas: semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur,
Ire viam, et Tyrios desertâ quærere terrâ.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, et duplices se ostendere Thebas:
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes;
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit, ultricesque sedent in limine Diræ."

VIRGIL.

percipiantur. Carolus XII. rex Suediæ *, hujus notissimum exemplum præbet; cujus animus impavidus, laudis amore, et ambitione malâ accensus, frigori maximè intenso semet impunè objicere solebat. Ex eadem ratione pendet indomita vis animi, quâ nonnulli, religionis patriæve causâ, gravissimos cruciatus inconcussi pertulerunt; et sævissima supplicia, quæ immanis barbaries unquam excogitavit, firmo pectore et etiam serenâ fronte perpessi sunt.

Maniaci ex morbis contagiosis ferè immunes evadunt: Optimè medicis innotuit homines, qui se contra contagium armatos credunt, eo rariùs infici: nil enim corpus contagio magis obnoxium reddit quàm timor, propter debilitatem inductam, quâ nihil contagio magis favet: insani autem, periculi quod

* Vide "Histoire de Carole douze, par Voltaire."

quod instat, prorsùs ignari, contagio minùs opportuni fiunt.

Homines maniâ correpti, plerumque admodum timidi sunt; et si nonnulli vehementi impetu in alios sæpè irruunt, ut primùm superantur, placidè et submissè se gerunt. Hinc etsi pluribus hominibus sæpè opus est ad vim dementium cohibendam, cùm tunica * quâ coërcentur semel imposita fuerit, furorem statim deponunt, et lachrymas interdum effundunt †.

Maniâ commoti, ex aliis morbis quibus priùs conflictati fuerant, nonnunquam liberantur. Dr MEAD dominæ junioris exemplum narrat, in qua ascites, summâ macie

 comitata,

* Anglicè, *strait jacket*.

† Audi GREGOR. Prælect. De Med. Pract. in Acad. Edin.

comitata, maniâ accedente, penitùs depulsa est.

Maniaci medicamentis haud facilè afficiuntur. Dr BRANDRETH quadringinti tincturæ opii guttas homini vehementi furore agitato assumendas dedit, qui paucis elapsis horis, ad se redibat *. Et Dr BINNS quadraginta opii grana unâ vice, et quatuor horis posteà, viginti ejusdem grana, homini insaniâ laborante adhibuit, quâ æger convaluit †.

Mente capti in nonnullis exemplis satis jucundè tempus agunt, et hoc præsertim evenit quando mens, cæteris sana, de una re solummodò hallucinatur; et sanè in hujusmodi exemplis, ubi æger neque sibi neque aliis nocet, meliùs forsan erit ab curatione absistere, ne

* Vide "Medical Comment." 1791, p. 384.

† Vide DARWIN's "Zoonomia," vol. iv. p. 98.

ne ad sanam mentem restitutus in verbis poëtæ, " amabilem insaniam" amissam lugeret *.

Maniaci dementiæ intermissione plerumque fruuntur, et tunc sui compotes facti sunt, et benè se habent.

DIAGNOSIS.

———————— * " Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor plausorque theatro :
Cætera qui vitæ servaret munia recto
More ; bonus sanè vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem ; posset qui ignoscere servis,
Et signo læso non insanire lagenæ :
Posset qui rupem, et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus,
Expulit elleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese : Pol, me occidistis, amici,
Non servâstis, ait ; cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error."

HORACE.

DIAGNOSIS.

Boerhaavius perceleb., qui inter clarissimos medicinæ cultores jure annumerandus est, maniam Melancholiæ tam affinem habuit, ut ille hujus gradus solummodò vehementior fuit. Hæc sunt verba: "Si melancholia eoúsque increscit, ut tanta accidat agitatio liquidi cerebrosi, quâ in furorem agantur sævum, Mania vocatur *." Dr Mead huic sententiæ suffragari videtur. Etsi autem hæc opinio auctoritate tam gravi innititur, hos morbos in quibusdam maximè ab invicem discrepare suspicarer. Melancholia enim homines temperamento melancholico præditos sæpissimè aggreditur; mania autem plethoricos et sanguineos sæpiùs petit:

Melancholia

* Vide Aphor. Boerhaavii.

Melancholia ferè gradatim obrepit, et multi per annos eâ laboraverunt sine ullo maniæ signo; mania autem sæpè subitò invadit: status cœli humidus et frigidus, qui melancholiam* excitare solet, maniæ potiùs obstat. Melancholici itinera facientes sæpè meliùs se habent; ex hoc autem maniaci nullum ferè commodum percipiunt.

Mania ex Delirio et Phrenitide facilè separatur; in his enim pyrexia vehemens semper urget, quæ illam rarò comitatur.

De CAUSIS maniæ, et quæ proclivitatem dant, et quæ morbum concitant, pauca nunc agitare liceat.

CAUSÆ

* "The gloomy month of November, when the "English hang and drown themselves."

SPECTATOR.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Quosdam homines ex prava et congenita corporis compage, certis morbis eò esse proniores, nemo legibus œconomiæ animalis vel leviter imbutus negabit. In qua autem corporis parte hoc vitium sedem figerit, nisi in paucissimis exemplis, diu forsan latebit. In causis morborum indagandis, medicos maximè claros multùm errâsse, cùm conjecturas utcunque ingeniosas, ultra quàm fas est, persequi conati sunt, et multa absurda, experientiæ minimè congrua, protulisse, neminem latere potest: observatis igitur, quæ medici saniores, verùm sine ulla præconcepta opinione quærentes, edocuerunt, contentus ero.

Mania sine dubio inter morbos hæreditarios recenseri meretur. Homines in iram proni, quorum mens instabilis huc illuc sine lege vagatur, faciliùs in hunc morbum incidunt.

Calidæ

Calidæ cœli regiones maniæ haud parùm favent; quod non mirum erit, si modò advertimus quantum imperium cœli plaga in alios quoque morbos exerceat. Quidam enim morbi certis regionibus quasi proprii videntur: hinc rheumatismus, pneumonia, et alii morbi qui ad phlegmasias pertinent, in locis frigidioribus sæpiùs conspiciuntur, quippè diathesi inflammatoriâ comitantur, quæ frigore sæpiùs quàm ullâ aliâ causâ gigni solet. Contrà, in regionibus calidis febres, tetanus, colica, hysteria, maximè invalescunt.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Causæ maniæ excitantes variæ, et diversi admodum generis, sunt; haud ineptè autem ad duas classes relegari queant, nimirùm, ad eas quæ ex sensibus internis pendent, et eas quæ ex corporis vitiis oriuntur: ad priores, animi affectus; ad posteriores, injuriæ cerebro illatæ, spectant.

Affectus

Affectus animi qui maniæ originem præbere possunt, tam varii sunt, ut affirmare liceat,

"Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
"Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli."

JUVENAL.

Amor ante alios, non sine sapiente consilio, homines gravissimè exercet. Cùm enim pectus flammam semel conceperit, amans amore solo occupatus, omnia alia negligit*.

Cùm

* "Love well repaid, and not too weakly sunk
In wanton and unmanly tenderness,
Adds bloom to health, o'er ev'ry virtue sheds
A gay, humane, a sweet and gen'rous grace,
And brightens all the ornaments of man:
But fruitless, hopeless, disappointed, rack'd
With jealousy, fatigu'd with hope and fear,
Too serious or too languishingly fond,
Unnerves the body, and unmans the soul.

And

Cùm res ita se habet, haud mirum erit, si homo infelici amore sauciatus, maniæ tandem succumberet *.

Paupertatis timor, maniam gravissimam induxisse visus est. Et quotidie observantur exempla hominum, qui tristi superstitione abrepti, et Numine quasi afflati, laqueo vel venenis necem sibi conscivêre.

C Homines

And some have dy'd for love, and some run mad,
And some with desp'rate hands themselves have slain."

ARMSTRONG.

* "Alas! I am grown naughty of late; I have "almost forgotten to think of Heaven; yet I pray "sometimes; when I can, I pray, and sometimes I "sing; when I am saddest I sing:—You shall "hear me,—Hush:

" *Light be the earth on Billy's breast,*
" *And green the sod that wraps his grave.*"

MACKENZIE'S *Man of Feeling*.

Homines studio nimis dediti, et libris semper inhiantes, maniâ nonnunquam corripiuntur. Gaubius illust., de malis quibus literarum nimis cupidi objiciuntur, agens, hæc observata solito judicio et elegantiâ protulit: "Cogitatio in eandem rem intensa non "interrupta, rari sunt quibus non magnoperè noceat. Etenim pars illa sensorii "communis, quæ sola tum in actione est, et "in quam tota veluti mens omni suâ vi in- "cumbit, violentiam patitur haud minorem, "quàm musculi singularis fortiter diuque "contracti."

Gaudium, etsi intra certos fines nil dulciùs mentem permulcet, nimis intensum, in maniam interdum desinit, et etiam mortem statim induxit*. Nil enim usitatius est quàm, qui divitias inopinatò adeptus est, vel voti subitò fit compos, illicò insanire: hoc maximè

* Vide Morgagni, Epist. 38., et Ramsay, "History of the American Revolution."

mè insigne fuit in illa fraude iniqua *South Sea Scheme* dicta, nunquam obliviscenda, in qua plures, ut Dr MEAD affirmat, qui divitias ingentes derepentè comparati sunt, furere incipiebant, quam qui vanâ spe circumventi ad summam egestatem redacti fuêre *.

Musice maniam interdum concitavit: hoc maximè apud Helvetios evenit, qui utprimum certos numeros, *Rans des Vaches* dictos, audiunt, præsertim si procul a patria fuerint, summâ mœstitiâ afficiuntur, nec raró mortem sibi intulerunt; hoc enim carmen natale solum, desertos montes, et delectos sodales, tam fortiter in memoriam revocat †.

Cùm

* Vide MEAD's "Works."

† "The intrepid Swiss, that guards a foreign shore,
"Condemn'd to climb his mountain-cliffs no more.
"If chance he hears the song so sweetly wild,
"Which

Cùm enim his non frui potest, spem omnem abjicit, et semet mœrori tradit, tam vehemens est patriæ revisendæ desiderium.

Ardor solis, vel *insolatio* *, ut vulgò dicitur, inter maniæ causas recensendus est.

Quod ad vim lunæ in exemplis maniacis attinet, hæc fabula ratione omninò destituta videtur. Non me latet, medicos summi nominis, inter quos MEAD et PITCAIRN eminent, plerosque morbos Lunæ imperio regi, persuasum habuisse. Hæc autem opinio nunc prorsùs obsolevit; cur semel obtinuit causa satis manifesta est; medici enim ad progressum morborum

---

"Which on those cliffs his infant hours beguil'd;
"Melts at the long-lost scenes that round him rise,
"And sinks a martyr to repentant sighs."

ROGERS.

* Gallicè *coup de soleil.*

morborum respicientes, eos statis intervallis redire et decrescere observârunt, quod ratione parùm validâ lunæ attribuerunt; ad mutationes enim quas corpus humanum ordinatè subit, animum parùm adverterunt: Optimè quoque notum est, multos morbos consuetudine solà statis temporibus redire, quod in epilepsia maximè conspicuum est.

Mania, mensibus et etiam aliis evacuationibus suppressis, nonnunquam supervenit. Papaver somniferum, et quædam venena, ut hyoscyamus niger, atropa belladonna, nimià dosi assumpta, maniæ originem præbuerunt. Aliquando quoque ex abusu vini vel liquorum spirituosorum provenit.

Nunc causas quæ ex corpore solo pendent, breviter percurrere liceat. Cùm cerebrum organum est quo varii animi motus proficiscuntur, ex vitiis hujus visceris pernobilis maniam sæpè oriri verisimile est; hinc morbum ex vulneribus, fracturis, et injuriis calvariæ

variæ illatis, sæpè concitatum invenimus. Tumores cranii, cerebrum irritando, maniam inducere queant.

CAUSA PROXIMA.

MEDICI causis morborum proximis eventu parùm felici adhuc incubuerunt; et sanè hoc non mirum erit, perpendenti corpus humanum legibus prorsùs diversis regi, ex iis quæ in rebus inanimatis obtinent. Medici autem quidam, ingenio nimis fidentes, causas proximas uniuscujusque morbi explicare aggressi sunt; pro veris autem causis sanâ ratione innitentibus, nil ferè præter ficta et absurda adhuc protulerunt, quæ inter medicinæ opprobria facilè numerantur. Rei autem hactenùs infeliciter susceptæ, exitum meliorem futurum esse spem fovere liceat; quid enim vetat quo minùs aliquis, mente magis divinâ, natus, hæc abdita naturæ arcana scrutetur,

tetur, et causas morborum proximas dilucidè aperiat ?

Causa quâ mania proximè pendet, in cerebro certè posita est ; de mutatione autem peculiari quam subiîsset, nil ferè innotuit. Cerebro eorum quos mania abstulit ferro patefacto, id solito durius fuisse compertum est *. Hunc autem cerebri statum, vel causam vel effectum hujus mali fuisse non exindè jure conficere possumus. Conjectura de causa proxima hujus morbi quæ mihi maximè arridet, maniam ex aucta cerebri *incitatione* pendere ponit. Intimam autem hujus naturam, vel modum quo gignitur, me omninò ignorare fateor ; et certè omninò abs re foret, verborum ambagibus huic proposito diutiùs insistere, quæ, etsi quosdam delectant, ad medicinæ incrementum nunquam conferre possunt. " Hæc quum ita sint, non mirum " esse

* Vide Morgagni, Epist. 8.

"esse poterit, multa medicorum commenta "de causis *proximis* variorum morborum "prorsùs futilia esse, et non modò falsa sed "adeò confusa et obscura, ut vix possint in-"telligi, neque fortassè ab ipsis eorum auc-"toribus unquam satis intellecta fuerint*."

PROGNOSIS.

In prognosi de morbi eventu formanda, ad munus quo pars læsa fungitur semper respicere debemus; in mania prognosis plerumque admodum dubia est. Cùm æger somno reficitur, judicium de morbi exitu magis faustum ferre possumus. Cùm mania ex labe congenita originem duxerit, pessimum est, rarò enim tunc medicinæ auscultat. Si ex injuria

---

* Gregory, Conspect. Med. Theoret. vol. i. p. 29.

injuria quavis cerebro illata oriatur, prognosis admodum infausta est. Hilari mente gestientes quàm mœstitia dejecti, ad sanitatem difficiliùs plerumque perducuntur, forsan quippè gaudium cerebrum ad actionem magis abnormem ciet. Febres, et magna sanguinis profluvia, maniam interdum tollunt.

METHODUS MEDENDI.

Ex sede hujus mali felicem medendi rationem instituere perdifficile est. Cùm maniâ detentus effrænatus se gerit, veste hoc consilio indutâ coërceri debet, et sanè rari sunt quibus non necessarium est furorem hoc modo compescere. Auctoritas eorum quibus maniaci demandati sunt, maximè valeret, oportet; custodes autem delirantium imperium mite exercere debent. Quid boni oriri potest ex crudeli et immerito supplicio,

quo nonnunquam tractantur maniaci, prorsùs ignoro. Qui hoc morbo corripiuntur sævitiæ quæ in semet exercitur, plerumque omninò obliti sunt, aliter, haud rarò, verbis divinæ poëtæ, exclamare potuerint:

——————— "But that I am forbid
"To tell the secrets of my prison-house,
"I could a tale unfold, whose lightest word
"Would harrow up the soul; freeze thy young
"blood;
"Make thy two eyes, like stars, start from their
"spheres,
"Thy knotty and combined locks to part,
"And each particular hair to stand on end,
"Like quills upon the fretful porcupine."

SHAKESPEARE.

Nil magis quibusdam insanis juvat quàm si *duros labores subire*, vel etiam, instar bovium, terram aratro excolere, coacti fuerint; et nonnulli qui hoc morbo laborantium sanationem suscipiunt, hoc modo solo utuntur.

tur *. *Diæta tenuis* in plerisque exemplis convenit.

Sanguinis detractio, quoniam aliquid ex corporis plenitudine detrahit, sæpè necessaria est, præsertim in morbi initio; *remedia* quoque *purgantia* eodem consilio usurpata sæpè haud parùm valuerunt, et helleborus, tantis laudibus ab antiquis in hoc morbo cumulatus, nullâ aliâ vi præter catharticam pollere videtur.

Emetica olim adhibita fuêre; quoniam autem copiam sanguinis caput versus irruentem adaugere periclitantur, medici recentiores ab usu horum omninò abstinere meliùs fore credebant.

Abrasio capillitii repetita, epispastica, glacies vel nix capiti sæpè admota, vel pileum luteum, usui strenuè commendata fuêre.

Inter

* Audi Gregor. Prælect.

Inter omnia autem remedia quibus atroci huic morbi subvenitur, *lavatio frigida* maximo cum beneficio admota est, præsertim si æger inopinatò in frigidarium immersus est. Dr WILLIS hoc remedio maximè fretus, summam famam propter peritiam in mania sananda meritò adeptus est.

Si quis vitio mihi vertat, quod medendi rationem nimis obiter perstrinxi, hoc solummodò dicendum habeo, pleraque remedia in hoc morbo parùm valere, et in exemplis gravioribus liceat cum *Græcis* exclamare, Ιατρος ιαται θανατος.

F I N I S.